




DECANUS,
SENIOR, DOCTO-
RES, ET PROFESSORES
FACULTATIS THEOLOGI-
CÆ IN ELECTORALI, QVÆ
WITEBERGÆ SAXONUM
EST, UNIVERSI-
TATE

L. S. P. D.




Literis Michaelis Meyeri,

1671.



DECANUS
SENIOR, DOCTOR
RES. ET PROFESSOR
FACULTATIS THEOLOGICAE
IN EFFECTU
WITTEBERGAE SAXONIAE
EST. UNIVERSI-
TATE
A. S. A. D.
Luceis Michaelis Meyeri
1671.





Quæ S. literarum cultoribus, quos vulgò *Theologia Studiosos* vocamus, (quia Studium omne Theologiæ veræ S. literarum est *ἐρένησις*) ceu futuris Verbi ministris, & doctoribus incumbant, & succinctè, & perfectè complexus est Gentium Doctor 2. *Tim. III. 16.* Quo loco commemorat quidem *Scriptura S. fines*, ad quos *ὠφέλιμῳ* utilis sit *divinitus inspirata Scriptura*; Sed quatenus eadem Episcopo, qualis erat Timotheus, tractanda est, ut omnes boni Doctoris partes implere possit. Neque ambiguum est, eosdem fines esse *Scripturae*, & *Theologiae*, adeoquæ *Theologorum, quâ talium*, & ministrorum verbi, ad quos semet aptare Theologiæ, & S. S. Ministerii candidati tenentur, ut eosdem olim, divinâ secundante gratiâ, assequantur. Ideò addit Apostolus, ubi recensuerat fines *Scripturæ S. ἵνα ἀρτιῶς ἢ ὁ Θεὸς αὐθροπῶς, σοφῶς πάν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρησμένῳ*, ut *perfectus sit homo DEI*, ad *omne opus bonum instructus*, uti Vulgatus interpretatur. *Hominem DEI* non quemvis sanctum intelligit, sed *Ministrum Verbi*, ut *Viri DEI* olim dicti Prophetæ sunt, & voluntatis divinæ interpretes, & Timotheum *hominem DEI*, vocavit Apostolus 1. *Tim. VI. II.* Vox verò *ἐξηρησμένῳ* non *instructum*, sed *perfectè instructum* emphaticè designat; siquidem *ἐξαρτιζέειν* sit *perfectum*, & *absolutum reddere*; & comparisonem inferat *compagiam membrorum in humano corpore aptissimâ, & perfectâ συμμετρίᾳ connexorum*. Ideò Syrus reddidit *ἁρτιῶς* h. e. *perfectus & absolutus*, S. Chrysostomus exposuit *ἐκ ἀπλῆς μετρίων, ἀλλὰ μετὶ ἀνεπιβίᾳ ἐξηρησμένῳ*, non simpliciter *particeps*, sed *diligenter*, & *accuratè instructus*. Usus autem Sacræ *Scripturæ*, ad quos perfectè instruimur per eandem, quadruplices constituit S. Paulus: *διδασκαλίαν, ἔλεγχον, ἐπιόρθωσιν, παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ; utilis est*, inquit juxtâ vulgatam versionem, *ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitiâ*. Quibus *πάν ἔργον ἀγαθὸν, omne opus bonum* Boni Theologi, vel Ministri Verbi comprehenditur. Nam *Didascaliam*, vel *doctrina de fide* ad *informationem*, quæcunqve requiritur in veritatis agnitione, facit: *Elenchus* v. *ad confutationem errorum*, & *falsitatis* cujuscunqve fidei adversæ profligationem: *Epanorthosis*

ad

ad vitæ & morum correctionem, & emendationem: *Pedia* denique ad eru-
 ditionem in justitiâ & sanctitate verâ. Quæ quisque sufficienter tenet, in
 nullo bono opere, in nullâ actione muneris sacri, in nullis officii partibus
 deficit. Ad ea autem omnia sufficienter instruunt S. litetæ, Scripturâ
Propheticâ, & *Apostolicâ* comprehensæ: Quas à puero noverat Timo-
 theus. Nam & Apostolica h. e. Novi Testamenti & ἡ ἐπιτομή τῶν ἀποστόλων ple-
 raque tum edita jam erant, teste Chronologiâ Sacrâ. De hisce ergo usi-
 bus S. Chrysostomus graviter in h. l. utilis, inquit, est Scriptura ad docen-
 dum, si quid vel discere, vel ignorare opus sit illic addiscemus; si arguere falsi-
 tatem, inde hauriemus, si corrigi, si castigari, ad exhortationē, ad solatium si
 quid desit & oporteat adipisci, ex eâ nihilominus discemus, ut perfectus sit ho-
 mo Dei. Non ergo sine illa perfici potest. *Prome*, inquit, Scripturas habes, si
 quid addiscere cupis, hinc poteris. Si autem Timotheo ita scribit Sancto Spiritu
 pleno, quanto magis nobis dicta putare debemus! Quid autē est, quod addit S.
 Chrysost. si quid discere VEL IGNORARE opus sit, illic addiscimus, nisi quod
 adeo perfecta sit Scriptura in διδασκαλίᾳ, ut quicquid illa non tradidit in
 rebus fidem & religionem concernentibus, illud ignorare opus sit, h. e. in
 religione nullum locum habere debeat, juxtâ symbolum *Petrinum* à Cle-
 mente Alexandrino annotatum, ἡ δὲ ἀπὸ τοῦ θεοῦ,

*Nescire velle, quæ Magister optimus
 Docere non vult, erudita inscitia est.*

De his enim valet illud, *Quod Scriptura tacet Sacra tacendo negat.* Et aure-
 um Eloquentiæ os semetipsum explicat homiliâ proximè præcedente h. e.
 octavâ in posteriorem ad Timotheum & μὴ πάντα γινώσκοντες ἵνα μὴ ἐπιδοκίμα-
 σις πάντα τεκμήριον, nolle omnia scire magnum quod sciamus omnia indici-
 um est. Omnia ergo scire nos posse, quæ scire opus est, è Scripturâ
 ita Sanctus ille tradidit. Neque abnuunt è Pontificiis Interpp. præcipui
 commatis. E multis unum atque alterum adducere juvat. *Thomas de*
Aquino Angelicus Doctor creditus in Comment. ad h. l. *Quadruplex*,
 inquit, est effectus S. Scriptura; Sc. docere veritatem, arguere falsitatem,
 quantum ad speculativam: eruere à malo, inducere ad bonum, quantum
 ad Præcticam. *Ulimus* ejus effectus est, ut perducatur hominem ad per-
 fectum. Non enim qualitercunque bonum facit, sed perficit. *Guilhel-*
mus Pepin Ebroicensis ordinis Prædicatorii, circa Ann. 1527. in Po-
 stillâ Domin. II. Adv. Conc. I. ita hâc de re docuit: *Sola hac Scri-*
ptura docet PERFECTE ET PLANE, quid credendum, ut sunt arti-
culi

culi fidei: quid agendum, ut sunt divina praecepta; quid fugiendum, ut sunt vitia: quid vitandum, ut sunt aeterna tormenta: quid appetendum, ut sunt caelestia gaudia. Ludovicus Soto major Lusitanus ejusdem ordinis superiori seculo praecipiti in Commentar. super I. ad Timoth. ita tradidit: Omnis scriptura divina inspirata apta seu idonea est, id est, facultatem praebeat, vel materiam suppeditat uberem ad docendum, ad redarguendum, ad corrigendum, ad erudiendum: In ea enim facile, & q. ad manum paratum invenies, quod doceas populum fidelem, & Clerum: quod redarguas haereticos, quod praevos etiam mores atq. sermones corrigas, sive praeva dogmata quo insuper erudias & instituas parvulos, qui velut infantes lacte opus habent. Denique utilis est ad OMNIA, quae NECESSARIA ET CONSENTANEA sunt ad consequendam veram justitiam, pietatem, & salutem, id est, ut perfectus sit homo DEI ad omne opus bonum instructus. Claudius Espenseus Parisiensis Theologus in Commentar. adh. l. p. 404. Eo vero tendit, inquit, cuncta divina scriptura tum inspiratio, tum utilitas, ut veritas doceatur, eiq. adversa falsitas confutetur, & DEI per Christum justitia instituatur, ex OMNIBUS AD PERFICIENDUM CHRISTI FIDELIEM requisitis constans, composita, & perfecta. Adjungamus his etiam aliquem e Jesuitarum ordine, qui praeter ceteris sibi sapere videntur: Leonh. Marium, qui Prolegomenis in S. Scripturam q. II. lect. 5. adducto testimonio praesenti Apostoli de S. libris, quod per eos fieri possit, ut perfectus sit homo DEI, ad omne opus bonum instructus. Et verè ita est, ait. Discimus enim ex iis non tantum quid credere, sed etiam quid agere, quomodo juvari, & quid sperare, ac metueri debeamus, in quibus TOTA vita humana perfectio consistit.

Hæc illi in laudem perfectionis Scripturae, cui alias mirum quantum? in Papatu derogatur. Id autem dubium videri possit, quomodo ommissus sit ab Apostolo usus Scripturae paracleticus; vel consolatorius, sine quo perfectus homo DEI esse nequit ad erigendos animos iræ & judicio DEI consternatos. Quæ causa fuit cur Chrysostomus addiderit mentionem ejusdem, quod nempe Scriptura S. etiam faciat *αὐτὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν*, *αὐτὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν*. Nimirum etsi consolationem expressè haud nominavit Apostolus, ea tamen ceu *ἡ ἀποστολικὴ διδασκαλία* Doctrina, & pascias in justitiâ, quâ doctrina vel sapientia fidei, ad salutem per fidem qua est in Christo Jesu, à Paulo designata vers. 15. intelligitur, spectanda est, adeoque neutiquam excluditur, sed includitur. In eo enim omnis conso-

latio

latio nostra unicè consistit, quod Sapientiam illam veram habeamus quæ non est hujus seculi, nec Principum hujus seculi, sed sapientia DEI in mysterio, abscondita de Iesu Christo, eoq; crucifixo, 1. Cor. II. 6. 7. quæ est cognitio Salutis Luc. I. 77. quâq; ve è Scripturis instruimur ad salutem non nisi per fidem in Christum consequendam; unde laudatus Parisiensis Theologus l. c. p. 399 prolixus hic est in Theophylacti verbis ad h. l. qui negat operibus salutem constare, sed fide in Christo, explicandis, & justificatione per fidem è Scripturis adserendâ. Nuspiam certè Pontificii solidam in universâ Theologiâ suâ, (verius matæologiâ) inveniunt in tentationibus & agone mortis consolationem; sed recurrendum denique unicè ipsis est ad merita Christi, quæ solâ fide apprehendi possunt, quo de Agenda, & Consolationes Moribundorum, ac Testamentum ipsiusmet propugnatoris fidei Romanæ præcipui Cardinalis Bellarmini testari possunt.

Ad hocce Scripturæ & Theologiæ Sacrosanctæ usus ut sese ἀφρον, καὶ ἐνηθρομένον redderet vir Præcellens, & Clarissimus, Dn. M. JOHANNES SIMON FRANCUS, Meno-Francofurtanus, omnem, quam potuit, adhibuit operam. Non dicemus quomodo ἀπὸ βρέφους à puero S. literas didicerit, cum Timotheo, à piâ Eunice, ac privatis præceptoribus informatus: nec quales in illis progressus fecerit in Scholis publicis, & imprimis Gymnasio Patrio; in quô tamen specimina laudabilium profectuum publica non perorando tantum, sed etiam disputando jam dedit. De Academicis solum studiis, & imprimis iis, quæ in hac Electorali universitate tractata sunt, aliquid commemorandum videtur, non quod commendatione nostrâ indigeat, qui sibi ipsi omnibus erit Epistola tyistica: sed quia virtuti reddendum est debitum testimonium. Et qualem quidem in illustri Argentoratensium Academiâ, quam primùm adiit, se vel gesserit, vel probârit, ἀκούοντες ipsa testari possunt, quæ illic edita in apertâ luce versantur. Nam & integrum quinquennium in sacro studio, præviis humanioris literaturæ, & lingvarum atque artium Philosophicarum progymnasmasi necessariis, sub præcellentissimorum Doctorum informatione exegit, & habitis tribus disputationibus, & in his duabus solemnibus, in quibus, pro more illic recepto, opponentium personam sustinere Maximè Reverendi & Excellentissimi Theologi Dn. D. Sebastianus Schmiedius Facultatis Senior, & Ecclesiastici conventus Præses, nec non Dn. D. Isaacus Faustius præclaram eruditionē publicè demonstravit, præsidete ipsi prædicto Dn. D. Faustio binis vicibus, tertiâ v. Pl. Rev. & Excell. Dn. D. Balt. Bæbelio, ut de sæpius cum laude sub Dn. D. Schmiedii præsidio, institu-

institutiſſis diſputationibus publico-privatis jam nihil addamus: nec *Colle-*
gia ſive *Philosophica*, ſive *Theologica* eademque cum *explicatoria* tum *exa-*
minatoria, quibus tamen valde ſuam ſcientiam in variis diſciplinis, maxi-
me verò in diviniſſi illa, & ſacratiori Noſter lucupletavit, recenſeamus.
Et loquentur adhuc *exercitia* illa *homiletica*, quæ poteſtate à Theologo
primario, *πρῶτον ἐν ἀγίοις* Dn. D. DANHAWERO accepta frequentè
illic habuit, nec non *Conciones* in urbis templo primario, etiam ſolemniore
tempore inſtitutæ, dotes inſignes, quibus ad docendum populum divini-
tus inſtructus eſt: quæ adeò *illuſtriſſimum Burckenfeldia Principem* mo-
verunt, ut Paſtoratum aulicum ipſi obferret, & per *Ampliſſimum Varenba-*
lerum Conſiliarium, Theologum Francofurtensium ſummum & Superin-
tendentem meritiffimum Dn. D. SPENERUM ſolicitaret, ut ipſum ad
luſcipiendum oblatam provinciam induceret. Quia verò Noſtro animo
ſedebat Apoſtolicum illud 1. Cor. XII. 31. obſervare, *ζηλώτε τὰ χειρόματα τῶν*
κρείττων, *æmulamini dona meliora*, eaque fini Academiæ alias adire, mode-
ſtè ſpartam honorificam reculavit, viſisque *Heidelbergensi*, *Giessensi*, *Je-*
nenſi, *Erfurtenſi* Academiis, *Lipſienſem* elegit, in quâ converſatione eru-
dita in conviçtiis & contubernio, nec non informatione ulteriori, in *μυ-*
νησίοις Theologicis Dn. D. SCHERTZERI, Theologi excellentiffimi,
ibi que jam primarii fruereſſet: ſub cujus Præſidio *binas* ſulcepit *diſputatio-*
nes, unam de *Lege*, de *Perſonâ Chriſti* alteram, easque cum auditorii ap-
plauſu habuit; ac magis magisque dona homiletica concionibus in utro-
que Lipſienſium templo ad cætum Sacrum expeditis, perfecit, iisdem que
ſe commendatum reddidit. Ut autem vires etiam ſuas periclitaretur in
Elencticis, ſequè ad opus illud *bonum*, quod pro vindicandâ cæleſti veri-
tate, & proſtigandâ hæreticâ pravitate luſcipiendum eſt *homini DEI*,
præpararet, adeoque ad bella *Domini* accingeret, Calviniftam Heidel-
bergensem *I. L. Fabricium* ſemel atque iterum aggreſſus eſt, & quicquid
ille adverſus *Pl. Rever. Dn. Michaelem Wigandum b. m.* molitus eſt, vin-
dice ſtylo diſpoſit. Atque hæc omnia priuſquam ad noſtram Leuco-
ream, ſedem Megalandri LUTHERI accederet: Quod M. Jun. Anni
CLO LXX. factum. Ubi conviçtu Dn. D. CALOVII Collegæ
noſtri venerandi receptus latere non potuit. Nam non tantum in *Phi-*
loſophicâ Cathedrâ, poſt impetratos pridem promeritos honores ſummos,
in quorum diſtributione inter XXIX. Candidatos primum locum obti-
nuit, & legitimè obtentam publicè Præſidendi facultatem, diſputa-
tiones aliquot publicas haud vulgares habuit, de *communicatione idioma-*

rum

I

tum, & ex Historiâ Ecclesiasticâ de Nestorio discussis tribus conflictibus, naniis, & affantiis *Derodonis* hominis Calviniani, qui scripto publico de *supposito* Nestorium pro Orthodoxo venditare, Cyrillum v. Alexandrinum cum Parastatis Ephesinis heterodoxias postulare, proh audaciam Calvinianam! veritus non fuit; sed etiam in S. S. Theologiâ egregiam eruditionis supellectilem, in utraq; B. LUTHERI Cathedrâ, tum *Academica*, tum *Ecclesiastica*. Nobis affatim probavit: magnoq; suo comodo luculenter adauxit. In illâ enim disputationem publicam adversus virum re & nomine magnam, at Majorem hæreticum, *Hugonem Grozium* sub *D. Hospitii* Præsidio feliciter suscepit, nec raro personam opponentis publice subiit: domesticis etiam conflictibus, cum *Armenianis*, sectâ, pestilentissimâ, sub ejusdem directione institutis, haud neglectis: in hac verò, in templo cum *urbis*, tum *arcis* quod Academicum est, frequenter verba ad populum cum ædificatione auditorii, fecit. Et ut undiq; se *αὐτῶν πρὸς τὴν ἀρετὴν ἐπισημαίνουσαν* adaptaret, post acquisitam *lingvarum*, quæ *Canone* dignæ habitæ sunt, notitiam, *Syracæ* & *Arabica* quoq; Studiis in *Dn. PFEIFFERI*, nec non Theologiæ *Moralistica* in *Dn. D. Aegid. Strauchii*, & *Chronologia Biblica* in *Dn. D. Calovii* privatis Scholis sedulo vacavit. Deniq; *vita pietate, & morum sanctitate* Doctrinam Theologicam decentè ornavit, *typumq;* aliorum DEO dicatorum sese præbuit. Nunc ut Stipendium liberale, quod *inclutus Patriæ Senatus* ante triennium benevolè concessit ad ulteriora profectuum sacrorum incrementa adhibeat, seque non illo tantum, sed vocatione ad insignem spartam Ecclesiasticam dignum præbeat, ac demonstret, *Exercitationem contra Johannem Heinium Professore Marpurgensem*, nequicquam præsentiam spiritualement adversus *B. Wigandum*, Calviniano more, adlerentem publico dare, ac *Rostochiensis* etiam Academiae limina salutare constituit. Unde Testimonium, quo sibi opus esse censuit, quodq; non minus modestè petiit, quàm egregiè meruit, eidem denegare haud potuimus, DEUM venerantes, ut dona sua subinde in hoc eximio S. S. Ministerii & Theologiæ Candidato perficere, ac coronare, eundemq; utilem operarium in Ecclesiâ suâ, *ad omne opus bonum instructum* efficere dignetur; quo nomine Eundem Patronis, cujuscunq; ordinis, & Ecclesiæ nutritiis, atq; Antistitibus summissè, ac prolixè commendamus; Datis hisce Systaticis, sub Sigillo Collegii Nostri Theologici, Witebergæ, 2. Aprilis Anno Domini
cIo lOc LXXI.

94 A 7380

ULB Halle
004 073 428

3




71 DA 17
Juni 1899

71








53

NUS,
DOCTO-
FESSORES
THEOLOGI-
RALI, QVÆ
SAXONUM
VERSI-
E

D.



lis Meyeri,

I

